

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae  
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

**Calixt, Georg**

**Helmestadii, 1658**

**VD17 VD17 3:303575N**

Disputation XIII. De romano pontifice

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

## DISPUTATIO XIII.

## DE ROMANO PONTIFICE.

## THEISIS I.

**R**Omani Pontificis ruinosum solium quibuscumque potuit viribus sulciturus Rob. Bellarminus, ut dignus Romanæ sedis Cardinalis esse mereretur, disputationis suæ telam in hunc modum orditum : *Nemini dubium esse potest, quin & potuerit & voluerit Salvator noster Jesus Christus ecclesiam suam eâ ratione & modo gubernare, qui sit omnium optimus & utilissimus.* Deinde ut quòd cupit, perveniat, tres propositiones hasce ponit, & probare co-natur. Prima, ex formis simplicibus præstantissima est Monarchia. Secunda, regimen temperatum ex omnibus tribus formis, propter humane naturæ corruptionem utilius est, quam simplex Monarchia. Tertia, circumstantiis seclusis Monarchia simplex absolute & simpliciter excellit. Hisce positis pergit ut ostendat Ecclesiasticum regimen esse Monarchicum, quale antè descriperat, temperatum ex Aristocratiâ, ut ait, & Democratiâ: nempe in quo unus summus sit Princeps, qui & omnibus imperet, & nulli subjiciatur; præsides itidem provinciarum vel civitatum veri sint Principes, qui tamen imperio summi principis obedient, & interim provinciam vel civitatem suam, non tamquam alienam sed ut propriam moderentur, h. e. Episcopos. Aristocratiam constituere: & demum suum quoque quemdam in eo locum habere Democratiani, cum nemo sit ex omni Christianâ multitudine, qui ad episcopatum vocari non

## DE ECCLESIA

312

c. 9.  
non possit, si tamen dignus eo munere judicetur. Effi-  
caciter se concludere existimat: nam si tres sunt, inquit,  
regiminis formæ, & probatum est ecclesiæ gubernationem nec  
Aristocraticam esse debere, nec Democraticam, quid aliud su-  
perest, quam ut sit Monarchica? Deinde si Monarchia est optimum  
& præstantissimum regimen, & certum est ecclesiam Dei  
à sapientissimo Principe Christo institutam optimè gubernari;  
quis inficiari potest ejus regimen debere esse Monarchicum?

z post. t. 56

II. Verum meminisse debuit Bellarminus, si igno-  
rare non potuit: ον δι εξ ἀλλε γίνεται σέβεται.  
Ab Aristotele Sophista proclamabitur, qui principium  
Politicum in Theologiam transfert. Ostendimus supe-  
riore disputatione quodnam sit illud, à quo primo inci-  
piat & in quod ultimum resolvatur discursus Theologi-  
cus: ineptissimè facit, qui aliunde firmum argumentum  
peti posse existimat. Confundit enim plusquam toto ge-  
nere diversa, ea nempe quæ cognoscuntur sub lumine rationis,  
& quæ cognoscuntur sub lumine revelationis sive  
fidei. Si illud sufficerit, hoc cui rei fuerit? Et cogita-  
re debuisset, quod in Praefatione scriperat: Etenim de quâ  
re agitur, cum de Primatu Pontificis agitur? brevissimè dicam,  
de summa rei Christianæ. Num igitur summa rei Christianæ  
non super verbo revelato, sed super ambiguo quodam  
Politico discursu fundatur, & fides nostra nitetur argu-  
mentis, quæ diu inter homines agitata apud complures  
parum visa sunt habere momenti?

III. Nam quod primo loco dicit, Monarchiam præ-  
stantissimam esse, verum tantum est, si adjungatur quod tertio  
loco dixerat, nimirum circumstantiis seclusis, nempe si  
unus homo posset omnibus locis adesse, nec necessariò  
cogeretur per alios negocia Reipub. procurare; item si  
unus

unus ille homo nequam esse non posset, peccare & errare non posset, denique si mori non posset, ne umquam Respublica Principe destitueretur, nec umquam administratio judiciorum & negociorum interrumperetur. Quæ quia soli Deo, nemini autem hominum competit, Dei quoque monarchia absolute optima est & præstantissima. De hominum dominatu recte Moses apud Iosephum: *Optimum quidem est optimatum regimen, & in Rep. quæ ita ad-*  
14. Ante<sup>op</sup>  
cap. 8.  
*ministratur vivere; nec est cur aliam ejus speciem concupiscatis;*  
*sed præstat ut hac contenti in legum & vestrâ ipsorum potestate*  
*sitis. Etsi omnia alia, quibus Aristocracia commodis cluet,*  
*in quorumdam monarchiâ invenire detur, unum tamen,*  
*quod ingentium turbarum caussâ esse solet, præcaveri non*  
*poteſt, ſcilicet interregnū. Aristoteles in Politicis quæ-*  
*nam trium specierum melior sit, determinare non audet:*  
*ſed cùm eas enumerasset, addit: Cum tres ſint reclarum*  
3. Polit. 3.  
*rerum publ. species, neceſſe eſt optimam eſſe, quæ ab optimis admi-*  
*nistratur. Talis autem eſt, in quâ contingit aut unum aliquem*  
*omnium, aut genus totum, aut omne multitudinem virtute præ-*  
*ſtantem gubernare eos qui gubernari poſſunt ad eam vitam quæ*  
*ſit maximè expetenda. Neque Bellarmino ſuam theſin con-*  
*ceſſerint Romani, Lacedæmonij, Athenienses, Syracusa-*  
*ni, Thebani, Carthaginientes; quos omnes adminiſtrandæ Reipub. rudes fuſſe ſine notâ arrogantiæ vix adfir-*  
*mabit. Neque verò hodie niſi agrè ferent, ſi nimis pro-*  
*tervè hac de re diſputarit, Germani, Helvetij, Ordines*  
*Belgici, Genuenses denique & Veneti, quorum Reſpub.*  
cap. 9.  
*M. C annis antiquior vivo exemplo ob oculos ponit quan-*  
*ti facienda Aristocracia: neque enim mixtura ibi eſt, ut*  
*vult ille. Nam Dux qui præter titulum potestatis nihil*  
*obtinet, monarchiæ aliquam ſpeciem referre non poſteſt.*

Kr

Tam

Tam certa & indubitata sunt, super quæ summam rei Christianæ ædificat Bellarminus, licet ingentem saltum faciens ex eo saltu adduxerit, unde nulla huic ædificio petenda materies.

IV. Sed & secundâ propositione fallit aut fallitur. Nam ut invidiam declinet, laudat Reipub. formam mixtam, & talem nunc in suâ ecclesiâ esse dicit, ubi præter Monarchiam locum habeant Aristocracia & Democracy. At puram & simplicem monarchiam regni Pontificij quis tam cœcus est, qui non videat? Unus habet potestatem definiendi & determinandi, reliquis incomunicabilem; ejusque sententiam examinare aut in dubium vocare non licet, sed ex divino præcepto recipere oportet tamquam divinam: & ab hoc uno cæteri omnes dependent, ut in Concilio generali congregati errare possint, nisi in definiendo sequantur Pontificis instrunctionem, sicut adversarius docet; & præterea *Summum Pontificem absolute esse supra Concilia*; Item in Conciliis ut *Principem ecclesiae summum posse retractare judicium majoris partis*, sicut Rex potest totum judicium irritare. Denique non posse subiçere seipsum sententia coactivæ Conciliorum, scilicet quia potestas Papæ super omnes est de jure divino, ut patet. At non potest Papa dispensare in jure divino. Nempe hoc illud est: *Hujus culpas isthic redarguere præsumit mortaliū nullus: quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus*. Monarchia hæc est, aut potius improba tyrannis: & desinat Bellarminus delenificis sermonibus fucum facere hominibus, quos specie quadam mixturæ inescat, ne tyrannidem cervicibus suis impositam animadvertant.

V. Verùm faciamus ei hujus rei gratiam, esto regnum Pontificium formæ aut figuræ, cuius velint ipsi; esto

*de Concil. I. 2. c. II. c. 17.*  
*I. 1. de Conc. c. 18.*  
*I. 2. c. 18.*

*dist. 40. Si  
Papa.*

esto Monarchia inter formas Rerumpub. optima: ut à Rebuspub. & imperijs ad ecclesiam argumentetur, id verò nec recta ratio nec sacra scriptura admittit. Illa prohibet μεταβοσι εἰς ἄλλο γένος. ista clamat: *Regnum Christi non est ex hoc mundo.* Reges gentium dominantur: *verum non ita erit inter vos.* Et quid commune sit Regno & Ecclesiæ? Diversi fines, diversi sunt modi gubernandi. In regno Magistratui leges rogare vel abrogare licet: num idem in articulis fidei, qui ecclesiæ leges sunt, licebit? Nullum regnum fuit unquam, ut Cicero ait, *quod non si minus jure aliquo, attamen certis regionibus contineretur.* At Pater Filio gentes in hereditatem dedit, & in possessionem terminos terræ. Denique ecclesia corpus mysticum est, cuius unicum caput Christum vitam ei & stabilitatem largiri, ministrosque & præcones dare; & hos pari potestate præditos in externo illo officio & administratione, Aristocratiæ potius quam Monarchiæ aliquam speciem referre, non ex analogiâ imperiorum civilium, sed ex sacris litteris demonstramus. Legant & illi oecumenicum suum primatum & infallibilitatem de Lege, ut Augustini verbis utar, *de Prophetis, de Psalmis, de ipso Evangelio, de Apostolicis litteris.* Legant & credemus.

*Orat. agres.  
riæ.*

*Psal. 2, 8:*

*de unit.  
eccl. c. 6:*

V. Quæ itaque Bellarminus primis octo capitibus latè prosequutus est, alio loco & apud alios disputare potuisset: verum ut se non in illis foliis spem ponere ostendat, nono capite præter primariam istam, septem alias rationes adducit, quibus ipsum tamen tantumdem tribuere non credo. Secunda igitur ejus ratio ab eâ similitudine dicitur, quam habet ecclesia mortalium hominum cum ecclesiâ immortalium angelorum. Quæ necessitas, ut in omnibus conveniant? Nec minus pertum, inquit, & exploratum

ratum est, inter Angelos præter summum Regem omnium Deum  
 esse unum qui aliis omnibus præsit. Hoc falsum est. III.  
 Tempore V. Testamenti fuit unus, qui omnibus præerat, in iis  
 quæ ad legem & religionem pertinebant. Ecclesia V. Testa-  
 menti adligata fuit populo Judaico, Catholica N. Testa-  
 menti in toto terrarum orbe colligitur. Non potest u-  
 triusque eadem esse ratio. Facile erat Judæis adire Hie-  
 rosolymam: imò singuli ter in anno adire ex lege tene-  
 bantur. Si figuram urget, dicimus Vetus in Novo ha-  
 bere suum complementum; & Christum ipsum Novi  
 summum Pontificem esse. IV. ratio. ab iis similitudinibus  
 petitur quibus in Scripturā describitur ecclesia. Omnes enim  
 ostendunt, necessariò debere esse unum caput. Comparatur ex-  
 ercitui ordinato, corpori, regno, ovili, domui, n. vi. At absurdum  
 est & blasphemum præter Christum alium statuere  
 Imperatorem, quo duce cum Satanā consligamus; aliud  
 caput, præter eum qui Servator est sui corporis, Eph. v,  
 25. Neque verò quia in Canticis sponsa Christi vocatur,  
 ideo proprium caput habet, secluso Christo: nam simi-  
 litudines non sunt latius extendendæ aut secus ad applican-  
 dæ, quām fit in ipsis scripturis: alioquin complura in con-  
 textu adduntur & ponuntur, ut oratio sit plenior & or-  
 natiōr, quæ tamen ad applicationem non patiuntur. Si  
 quoque blasphemum est alium nominare regem, quām  
 eum, quem Deus ipse constituit super Sionem montem  
 sanctitatis suæ, Psal. 11, 6; alium αρχιπούλα præter eum,  
 qui animam suam pro ovibus posuit, & vitam æternam  
 eis donat, Joan. x, 11 & 28; alium Dominum, præter  
 eum, qui ut filius domui sue præst, Hebr. III, 6. Oeconomi  
 plures sunt, 1 Cor. iv, 1; quum quilibet etiam epi-  
 scopus οeconomus adpelletur, Tit. 1, 7. De Architalasso  
 navis

navis idem judicium. V. *Christus cùm in terris dегeret eccliam visibiliter administrabat, ut summus ejus pastor & rector. E. etiam nunc habere debet &c. Nulla est ratio consequentiæ, ut nec in ratione VI : Reclie in singulis ecclesiis singuli constituantur Episcopi. Igitur æquum est, ut sit etiam unus aliquis, qui toti ecclesiæ præsit. Nam Christi visibilis in ecclesiâ presentia fuit extraordinaria, quantum ad ipsam ecclesiæ gubernationem; venerat enim ut mundum suâ morte redimeret. Dein non est eadem unius particularis & universæ catholicæ ecclesiæ ratio. VII. Non potest ecclesia propagari, nisi sit unus summus præsul, qui doctores in provincias mittat. Quis Philippo jussit, ut Eunicho obviā iret, Paulo ut in Macedoniam contenderet, Petro ut ad Cornelium se conferret? Falsum est, quod soli Pontifici potestatem mittendi adscribit. Pantænus à Demetrio Alexandriæ episcopo in Indiam missus fuit, teste Hieronymo: Frumentius ab Athanasio Indorum episcopus constitutus, teste Sozomeno. IIX. Una fides in ecclesiâ esse non potest, si non sit unus summus Judex, cui omnes adquiescere teneantur. Sed ad hoc argumentum superiore disputatione respondebamus: neque vero ratio instituti patitur, ut hujusmodi ratiunculis refutandis diu ammoremur.*

Catal. c. 36  
I. 2. c. 23.

VII. Accedamus nunc cum Bellarmino ad Petrum, lib. I. c. 10.  
quem totius ecclesiæ caput & principem loco Christi ab ipso Christo constitutum probare conatur ex duobus Evangelij locis, in quorum altero promittatur, in altero exhibetur monarchia sive primatus. Primus Matth. XVI. Interrogabat Servator discipulos suos, quisnam esse videretur hominibus. Referunt illi discrepantes sententias. Ab ipsis itaque querit: *Vos autem, quem me dicetis?*

PRIMAS  
TUS PR-  
TRI.

*Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quod eodem modo respondet: *Tu es Simon Petrus pro omnibus unus* respondet: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Quod eodem modo fecit Joan. vi, 68. Tunc respondens Jesus dixit ei: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis non revelavit hoc tibi, sed Pater meus, qui est in cælis.* Sed & ego dico tibi, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferorum non superabunt eam.* Et tibi dabo claves regni cælorum: & quidquid ligaveris &c. Hic locus prora puppisque est causæ Pontificiæ. Bellarminus tamen eum adcommode dare non potest, nisi injuriam faciat Euangelistæ, hoc est, Spiritui sancto per Euangelistam loquenti. Dicit enim Servatorem Syriacè loquutum dixisse Simoni: *Tu es petra, & super hanc petram &c.* Non verò: *Tu es Petrus, & super &c.* Animadvertis parum præsidij in ijs verbis hoc, quo oportet, sensu acceptis. Quare harilo latur quomodo Christus Syriacè protulerit, & quomodo reddere debuissest Euangelista præscribit, contemnens interim auctoritatem vulgatæ versionis. Rationes verò nullius sunt momenti. *Quoniam, inquit, tam πέτρης & quam πέτρα significat lapidem* (at illud non nisi lapidem, super quo ecclesia fundata dici non potest: hoc etiam rupem) *vixum est interpreti commodius homini nomen masculinum quam femininum tribuere.* Nulla inquam ratio; hoc in metaphoris non observatur. Christus alio loco ipse petra dicitur 1 Cor. x, 4; resurrectio Joan. xi, 25; via, veritas & vita Joan. xiv, 6. Deinde ad explicandam metaphoram seundo loco non voluit dicere ὅτι τῷ πέτρῳ, quod fuissest ambiguum, sed ὅτι τῇ πέτρᾳ, quod nihil aliud quam saxum significat. Deliramenta loquitur. Illo modo si dixisset, ambiguitatem quæ secundum Pontificiorum expositionem remanet, sustulisset; & commodiū ad Petrum locus trahi potu-

potuisset. Nunc verò dixit : *Tu es Petrus*; neque nos convenit corrigere Matthæum, aut suspicari aliud voluisse Christum, quām Apostolus expressit; neque Bellarmino hoc licet sine fraude vulgatæ versionis. Est itaque PETRUS proprium nomen, quod Simoni imposuerat Servator, Marc. 111, 16. Luc. vi, 14. Ioan. i, 43. paronymum à petrâ. Basilius: χριστὸς ἡδὲ ὄντως πέτρα ἀσπλεντός. Πέτρος δὲ ἡδὲ τὸ πέτρων. Ambrosius: *Sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à Petri à Christo Petrus Apostolus vocatur.* Augustinus: *Ecclesia fundata est super Petram, unde & Petrus nomen accepit.* Non enim à Petro Petra: sed Petrus à Petrâ, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Quod si πέτρος hīc non proprium sed appellativum nomen est, quomodo dicitur Simoni, quòd sit πέτρος, quum nihil hīc exhibeat, sed tantùm promittatur? Non erat itaque petra, sed futurus erat: nam futurum ædificabo loco ipsi adversarij urgere solent. Omitto quòd πέτρος non rupem sed lapidem significet, qui sustinendo ædificio ineptus est. Pergit itaque Christus, sive ex ore & sensu Christi Apostolus, & paronomasiā absolvens addit: οὐτὶ ταύτη τῇ πέτρᾳ. Nempe ut ambiguitatem tollat, & Petrum à perrâ distinguat, cùm vocabulum tum genus immutat, articulisque geminatis peculiarem aliquam petram designat. Hac quæ petra sit, colligere licet, modò phrasin scripturarum observemus, & quisnam metaphoricâs petra dici soleat, circumspiciamus. II Sam. xxii, 2. *Dominus petra mea & arx mea.* Ies. 11x, 14; Rom. ix, 33; 1 Pet. ii, 8 Christus petra scandali appellatur. I Cor. x, 4. *Petra erat Christus.* De nullo alio dictum invenietur. Ergo hoc etiam in loco petra erit, qui petra est in cæteris omnibus. Et si petra super quam ædifica-

serm. de  
penit.  
serm. 84.  
tr. 114. in jo.

DE PRIMATU PETRI.

320  
 dicitur domus, idem est quod fundamentum domus,  
 r Cor. 3,17. quid dubitabimus interpretem habentes Paulum? Funda-  
 mentum aliud nemo potest ponere, præter id quod postum est,  
 quod est Jesus Christus. Hic igitur est petra & fundamen-  
 tum ædificij ecclesiæ. *ταῦτα τὸν πέτραν* revelarat Petro  
 Pater cœlestis, & ipse jam confitebatur, super quā se ec-  
 clesiam ædificaturum promittit Christus. Ridiculum  
 verò est, quod futurum urget Bellarminus: quasi qui di-  
 cit se ædificatum, neget se ædificasse, vide i Cor. xiv,  
 15: & certè tunc peculiari modo erat ædificatus. Item  
 pronomen *HANC* non posse referri ad Christum petram, sed ad  
 Petrum petram: debere enim referri ad aliquid proximum.  
 Falsum, videat Act. 11, 22 & 23. Deinde ne referretur  
 ad Petrum, mutatum est nomen & genus; & nomen ad-  
 ditum, quo alioquin opus non fuisset, sed dixisset sim-  
 pliciter: *Tu petra es, super quam &c.* Sive verò per Pe-  
 tram intelligamus ipsum Christum, sive confessionem, si-  
 dem & doctrinam, quæ pro objecto habet Christum, res  
 eodem recidit, & utraque expositio cùm huic tum alijs  
 scripturaræ locis analoga est.

IX. Atque utramque Sanctos Patres amplexos  
 esse constat. Cyrillus iv Dialog. de Trinit. Petram opinor  
 per agnominacionem, aliud nihil quam inconcussam & firmissi-  
 mam discipuli fidem vocavit. Chrysostomus homiliâ de  
 tom. 3. cruce dominicâ Christum pro petrâ habet; hom. LV in Mat-  
 thaum fidem atque confessionem; & quidem sermone dePen-  
 tecoste, pro communi omnium Apostolorum, non unius Petri  
 confessione accipit; Ibidem quoque hæc verba: *Super hanc*  
*petram; non dixit super Petrum.* Non enim super hominem,  
 sed super fidem ædificavit ecclesiam suam. Quid autem erat  
 fides? *Tu es Christus filius Dei vivi.* Gregorius Nyssenus  
 in de-

in delectis testimonij V. Testamenti: *Petra vitæ Dominus & Deus noster Jesus Christus dicitur, & petra fidei, tamquam fundatum, ut ipse Dominus ait, ad principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram, super confessionem videlicet, quia dixerat, Tu es Christus Filius Dei viventis.* Theodoretus in Canticum: *Petram adpellat fidei pietatem, veritatis professionem. Domino enim ex discipulis quærenti &c.* In 1 Cor. cap. III. Hoc fundamentum jecit B. Petrus, vel potius ipse Dominus. Quum enim dixisset Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi, dixit Dominus: Super hanc petram &c.* Theophylactus in hunc locum: *Dixit quod hæc confessio, quam confessus est, fundamentum erit futurum credentium: exstruens fidei domum, hoc iacturus sit fundamentum.* Isidorus Peliota lib. I ep. cxxxxv scribit Christum è discipulis suis percontatum, *Quem me dicunt homines esse, ut hæc ratione certam omnibus confessionem traderet, quam ab eo inspiratus Petrus, tamquam basin ac fundamentum jecit, super quod Dominus ecclesiam suam exstruxit.* Eusebius Emissenus hom. in natalem S. Petri: *Super hanc petram, quam tu modo in fidei fundamentum posuisti: super hanc fidem, quam tu modo docuisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi: super hanc petram & super hanc fidem ædificabo ecclesiam meam.* Huic enim sententiae Apostolus concordans ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere &c.* Ac si dicat: *Non est aliud fundamentum, nisi illa petra, quam Petrus posuit in fundamentum, quum diceret: Tu es Christus.* Hilarius secundo de Trinitate: *Vnum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es Filius Dei vivi.* Sexto de Trinitate: *Super hanc confessionis petram ecclesiæ ædificatio est.* Item: *Hæc fides ecclesiæ fundamentum est: per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum.* De hac itaque eadem

S

loquitur,

loquitur, cùm in Matthæum commentans ait: *O in mor-  
eupatione novi nominis felix ecclesiæ fundamentum: dignaque  
ædificatione illius petra, quæ infernas leges & tartari portas &  
omnia mortis claustra dissolveret.* Ambrosius serm. LXXXIV  
petram hanc & de quâ Paulus 1 Cor. x, 3, pro una eademq[ue]  
accipit. In cap. secundum ad Ephesios: *Super istam petram  
ædificabo ecclesiam meam, h. e. in hac catholicæ fidei confessione  
statuam fideles ad vitam.* Augustinus de verbis Domini  
serm. XIV: *Tu es ergo Petrus: & super hanc petram quam  
confessus es, super hanc petram quam cognovisti dicens, Tu es  
Christus Filius Dei vivi, ædificabo ecclesiam meam: id est, su-  
per me ipsum Filium Dei vivi ædificabo ecclesiam meam. Su-  
per me ædificabo te, non me super te.* Tract. x in Episto-  
lum Ioannis: *Quid est, super hanc petram ædificabo ecclesiam  
meam? super hanc fidem, super id quod dictum est, Tu es Christus  
Filius Dei vivi. Super hanc petram, inquit, fundabo eccle-  
siam meam.* Tract. ult. in Evang. Ioann. Ideo ait Dominus,  
*Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: quia dixerat Pe-  
trus, Tu es Christus Filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit,  
petram quam confessus es ædificabo ecclesiam meam.* *Petra er-  
at Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus  
est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere &c.*  
Hæc ex Augustino repetit Isidorus Hispalensis Orig-  
inum lib. VII, cap. 9. Gregorius Magnus Exposit. moralis L.  
XXXI, c. 19: *In sacro eloquio cum singulari numero Petra  
nominatur, quis alius quam Christus accipitur?* Paulo adtestante,  
qui ait: *Petra autem erat Christus.* Anselmus in Matthæum:  
*Super hanc petram, id est, super me: quasi dicat: Sic es Petrus à  
me Petræ, ut tamen mihi reservetur fundamenti dignitas.* Ad-  
demus alios etiam, qui favore caussæ Pontificia aliter forte  
judicare potuissent, nisi obstitisset evidenter veritatis. Ans-  
bertus

bertus lib. III in Apocal. c. 5: Petro typum ecclesiæ gerenti Dominus ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram, ac si diceret: Super me ædificabo te.* Smaragdus in Matthæum: *Sive super hanc petram, id est super illum, quem ore tuo confessus es,* dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi: sive super hanc petram, super confessionem Petri.* Jonas Aurelianensis de cultu imaginum lib. III: *Multi & pñè omnes Petram, super quā ædificatur ecclesia, fidem intelligunt B. Petri, quæ communis est totius sanctæ ecclesiæ, videlicet eam, quæ paullò ante promissionem hanc præcesserat, id est: Tu es Christus Filius Dei vivi, & huic petræ superædificandam ecclesiam suam Dominum promisso.* Glossa interlinearis: *Super hanc petram, id est Christum, in quem credis.* Glossa ordinaria: *Non dico vocaberis, sed tu es Petrus: ob fortitudinem fidei & confessionis constanciam.* Petrus à me petrâ, ita tamen ut mibi retineam dignitatem fundamenti: *tu super me ordinabis lapides mundos & abiicies leprosos.* Lyra: *Et ego dico tibi pro te & pro socijs tuis, Quia tu es Petrus, id est confessor petræ veræ, quæ Christus est factus.* Et super hanc petram, quam confessus es, id est, super Christum. Adde duos Romanæ ecclesiæ Cardinales, qui & ipsi contra suos socios testimonium dicant. Hugo in Matthæum: *Et super hanc petram, id est, super hoc fundatum I Cor. X, A.* Petra autem erat Christus, ejusdem cap. 3. C. Fundamentum aliud nemo &c. super hanc petram, id est, fidei firmitatem. Jes. XXVII, D. Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem: *lapidem probatum &c.* Petrus de Alliaco in Recommendatione, ut vocat, S. Scripturæ: *Licet autem ipse met Augustinus Retractat. l. i. c. 21. que harum durarum sententiarum probabilior sit electioni lectoris reliquerit: non tamen videatur, quod in petrâ Petrus, sed in petrâ Christus sit intelligendus, de quo ait Apostolus: Petra autem erat Christus*

SS 2.

I Cor.

**I Cor. 10.** *Quis enim in Petri infirmitate ecclesiæ firmitatem stabilitat? de cuius infirmitate ancilla ostiaria interrogata respondeat.*

**IX.** Audivimus Patres sententiam suam dicentes de interpretatione hujus loci, quam quidem ex hujus ipsius contextu & aliis Scripturæ dictis **I Cor. 11, 11, & x, 4** deducunt. Nonnulliverò longius abeunt, & Petrum quidem in petrā intelligunt, ita tamen, ut propter doctrinam quam prædicabat petra sive fundamentum esset; quo modo Petro nihil singulare tribuunt, sed quod cum ipso reliqui Apostoli commune habebant, cuius ergo æquè ac ille dici possunt fuisse petræ: nam & ipsi primi doctrinam de Christo cognoverunt, prædicaverunt, & super eâ ecclesiæ fundârunt. Hinc enim mystica Hierusalem habebat fundamenta duodecim, in quibus duodecim nomina Apostolorum Agni. Sic Tertullianus qui scripsérat præscript. adv. hæret. Petrum ædificandæ ecclesiæ petram dictum; & De Pudicitia: *super te Petrum ædificabo &c.* ibidem mox subjungit: *In ipso ecclesia exstruxta est, id est, per ipsum.* Libro **IV.** adv. Marcionem, Petrum ita dictum ait, *quia petra & lapis Christus.* Epiphanius, qui in Anactorato dixit; *Dominus constituit Petrum petram firmam, super quam ecclesia Dei ædificata est:* idem lib. **II,** tom. **I,** hær. **LIX** ait, ita esse *quia confessus fit Christum Filium Dei viventis.* Origines hom. **VIN** Exodum, Petrum magnum ecclesiæ fundamentum & petram solidissimam adpellat: idem tamen ubi ex professo hunc locum exponit, isthac nomine quemvis fidelem disputat insigniendum. *Quod si nos quoque, inquit, loquuti, quod dixit Petrus: Tu es Christus Filius Dei vivi; tamquam non acceptâ hujus revelatione à carne aut sanguine, sed luce cordi nostro illucenti à Patre, qui in cœlis*

cælis est, efficimur Petrus; & nobis dicetur, quod hunc sermonem sequitur: Tu es Petrus &c. Petra est enim, quisquis Christi discipulus est, ex quo liberunt de spirituali consequente eos petrâ. Paullò post: Quod si super unum illum Petrum tantum existimas ædificari totam ecclesiam, quid dicturus es de Joanne filio tonitrii & Apostolorum unoquoque? Quin alioqui num audemus dicere, quod adversus Petrum unum non prævalituræ sint portæ inferorum, adversus cæteros autem Apostolos & perfectos prævalituræ sint, ac non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, sit illud quod dictum est: Et portæ &c. Item illud: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam? An verò soli Petro dantur claves regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum hoc: Tibi dabo claves regni cælorum: cæteris quoque communione est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt & quæ sequuntur velut ad Petrum dicta, sunt omnibus communia? Nam hic & illud velut ad Petrum videtur dictum: Quæcumque ligaveris &c. Cæterum in Evangelio Joannis Servator dans Sp. S. discipulis ait: Accipite Sp. S. &c. Quamquam qui petram vel Petrum vel Apostolorum sive etiam fidelium quemlibet exponunt, vera quidem dicunt, à sensu tamen verborum Christi discedunt, & contextum torquent. Anmadvertis hoc Augustinus, quare ipse retractat, si quando ita exposuisset. Non dictum est illi, inquit, Tu es petra: sed <sup>1</sup> Retract. tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut cum tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Subjungit quidem: Harum duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Sed quum hoc sit contra mentem Augustini, posteriorem absolutè præferendam etiam arguento confirmantis, videtur esse glossema.

X. **Petra** igitur supra quam ædificatur ecclesia, est

Ss. 3

Iesus

Iesu Christus, sive metonymicè doctrina, confessio & fides quæ pro objecto habet Christum: ipsis verbis & reliquis Scripturæ locis hunc sensum exigentibus. Eadem enim habemus Evangelistæ, qui noxit, quomodo Syriaeus Christi sermo græce proferendus. Nec Bellarminus cum bonâ sui ipsius veniâ à vulgata versione recedere potest, aut Syriacam, quam semel exauctioravit, præferre. Fr. Lucas Brugensis in comment. ad hunc locum eodem confugit: non tamen video cui suo bono. Namquæ causa, quur hîc potius *Cepha* pro appellativo non proprio accipiamus, quâm i Cor. 1, 12; 11, 22; xv, 5, Gal. 11, 9. Denique nemo Patrum petram interpretatur de Petro ut causæ Pontificiaæ subveniat, vel oecumenicum Pontificatum stabiliat: plerique enim, ut jam abunde ostendimus, de ipso Christo *vel* fide in Christum; cæteri qui Petro adplicant, nihil tamen ei quod non reliquis convenire possit, tribuunt. Novit verò Bellarminus decreuisse sanctam Tridentinam Synodum, *ut nemo contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat:* & Canum hanc conclusionem posuisse: *In expositione sacrarum literarum communis omnium sanctorum veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas.*

XI. Cætera quæ sequuntur in hoc loco intelliguntur facile ex ijs quæ diximus: neque vacat singula accurate persequiri. Petro vice omnium confessio promittitur potestas ligandi & solvendi; quæ uni omnium personam sustinenti promissa junctim omnibus confertur: & quidem totidem verbis Matth. xii, 18; nec non Joan. xx, 23. Vide cujus sententiam suprà adscribemus Ori-

genem

lib. 1. de  
Verbo Dei

e. 4.

lib. 4.

lib. 7. Loc.

e. 3.

genem; & Theophylactum dicentem: *Habent potestatem remittendi & ligandi, qui sicut Petrus episcopatus gratiam consequuntur. Quamvis autem Petro soli dictum sit: Dabo tibi: omnibus tamen & Apostolis concessae sunt. Quando? cum dixit: Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur.*

XII. Accedamus ad alterum locum, quo juxta Bellarminum Petro monarchia ecclesiastica collata fuit. 1. n. 14.  
 Joan. ult. Petrus ter interrogatus an Christum diligenter cum ter adfirmasset, totiens jubetur pascere oves Christi. In primis quia secundo loco verba Christi exprimit Evangelista ποιμαν τῷ ἀρχαῖον μη, colligit hinc Bellarminus ποιμένα λαῶν, qualis apud Homerum Agameron. Sed rectius fecisset, si ex ipso N. Testamento usum & vim vocabuli didicisset; adeoque ab ipso, cui haec dicta fuere Petro. *Presbyteros*, inquit, *qui in vobis obsecro tamquam compresbyter: ποιμάνατε τὸν τοῦ ιδίου ποιμαν τῷ θεῷ.* 1. Ep. 5, 8  
8c.  
 Metaphora est, quā officium docendi homines verbum, quod animæ cibus est, à similitudine pascendi greges declaratur. Atque hinc Paulus ποιμένας καὶ διδυσκάλος dicit. Hoc quidem officium singulis, quibus commissus grex aliquis est, incumbit; Apostolis vero alio quodam modo incumbebat: nam ipsi erant Apostoli, ut orbem terrarum peragrarent, ubique locorum docerent & ecclesias fundarent. Ab Apostolatu vero exciderat Petrus trinā Christi abnegatione, qui tamen confidenter anteā jactaverat: *Etiam si omnes scandalizati fuerint in te,* Matt. 16, 23. *ego numquam scandalizabor.* Interrogatur igitur nunc à Servatore, num idem adhuc animus & confidentia, ac etiamnum reliquis se preferre audeat: *Simon Iona, diligis me plus his?* Respondet simpliciter: *Certe Domine, tu nosti quod amem te.* Audit vicissim: *θόρυβον ἡ πρία μη.* Eph. 4, 14.

Atque

Atque ita ter repetita confessione, quota fuerat abnegatio, dignitati restituitur. *Cyrillus in Joan lib. xi c. 64.*  
*Quoniam cum alijs Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negavit, jure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur: ut terna negatio æqua i confessionis numero compensetur.* *Nazianzenus orat. xxxix.* *Iesus Petrum recepit, triplicique interrogatione & confessione triplicem abjurationis culpam sanavit.* *Augustinus tractat. cxxiiii in Joan.* Redditur trina negationi trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori: & plus vocis eliciuisse videatur mors imminens, quam vita praesens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse non Christi, se convincuntur amare, non Christum: vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendicupiditate, non obediendi & subveniendi & Deo placendi caritate. Contra hos ergo vigilat totiens inculcata vox Christi, quos Apostolus gemit sua querere, non Jesu Christi. Et pergit uni Petro dicta omnibus ad applicare ecclesiarum præpositis. Nam quod muneris hic metaphorica loquutione Petro injungitur, sive potius restituitur, idem reliquis Apostolis omnibus simplici & plano sermone committitur. *Matth. xxix, 19.* Euntes docete omnes gentes. *Marci xvi, 15.* Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Nihil itaque peculiare est, quod per oves universam ecclesiam intelligi vult. *Cap. 16.* Bellarminus: nam cæteris quoque Apostolis officium docendi omnes gentes injunctum fuit.

XIII. Explicavimus duo illa, super quæ Pontificij primatum Petri ædificant; & demonstravimus ne vestigium quidem alicujus primatus ibi reperiri. Non autem hic locus ille est, quo reliqua, quæ adduci solent, discutimus:

mus: neque verò operæ precium, ut XXIX Petri prærogativis, quibus ejusdem primatum confirmari singit Bellarminus, immoremur. Nam quid ad rem, Petro nomen à Christo mutatum esse; interdum, quum omnes aut aliqui Apostoli nominantur, primo loco poni; cum Domino ambulasse super aquas; tributum solvisse; in ejus navem Christum intrasse? Excusa sunt è manibus adversiorum argumenta, in quibus unicum istius causam præsidium: neque verò nos urgeri possumus, ut ullo argumento sententiam nostram confirmemus. Ipsi adserunt Petro collatum esse primatum & dominatum super cæteros Apostolos, & universam ecclesiam: nos negamus. Ipsorum est tantam rem quam audacter adeo adfirmant, è sacris literis demonstrare: quod quia hæc tenus nec fecerunt, nec umquam facere potuerunt, annón se causam cecidisse ipsosmet oportebit fateri? At ne ullus restet scrupulus, & primatus ille funditus diruatur, nos argumenta, quibus tamen nisi abundè adversariis satisfactum vellemus, opus non eslet, pro sententiâ negante, sed breviter, ut reliqua tractandi locus sit, proferemus.

XIV. Primò nullam omnino Christus esse evolutum inter suos monarchiam. Nam cùm contendenter inter se discipuli, quis eorum videretur maximus, ipse dixit eis: Luc. 22.25. Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eis, benefici vocantur. *Vos autem non ita.* Pracludit hic omnem aditum ad dominatum, qualem obtinent Reges gentium. Talis autem est, quo unus omnibus præsidet, ut ab hoc uno cæteri dependeant. Pergit dein eos, qui eximijs quibusdam donis præpollent, hortari, ne efferrantur, aut primatum adsecent. *Qui maximus est inter vos,* v. 26.

Tt inquit,

## DE PRIMATU PETRI.

330 inquit, *estō sicut qui minimus es: & qui duxtor es, sicut qui ministrat.* Eodem modo responderat Jacobo & Joanni

Matt. 20,25

Marc. 10,

42.

filiis Zebedæi, primatum ambientibus: *Scitis principes gentium in eas dominari, & magnates auctoritate uti in eas. Verū non ita erit inter vos.* Quid dici potest clarius? Hoc autem hīc quoque notari volo, si Matthæi cap. xvi primatus Petro promissus, quomodo nunc post illam promissionem alij de eo contendere ausint? aut quomodo non contendentes Christus quiescere, & jam antē facte constitutionis, Petroque præstite promissionis meminisse jusserit? Certè hæc arguunt nullum ibi Petro primatum promissum fuisse. Præterea Apostolus ubi compactiōnem sanctorum, opus ministerij & ædificationem corporis Christi describit, Christum dedisse ait *alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores;* non meminit Primatis sive Pontificis. Is itaque ad ædificationem corporis Christi, h. e. ecclesiæ nihil facit; nihil quoque facit ad id, ne simus amplius pueri fluctuantes & circumlati quovis vento doctrinæ: nam alioquin hoc loci ab Apostolo præteritus non fuisset. Sic idem alio loco scribit constituisse Deum in Ecclesiā primūm Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores: nullam facit mentionem Pontificis, qui si à Deo in ecclesiā constitutus esset, maximè nominari debuisset. Porro superiore disputatione ostendimus ecclesiam in scripturis corpus dici: at monstrorum corpus erit, si præter Christum habeat aliud caput, quodcumq; vel qualecumque id tamdem fuerit. Dico quoque supra humanas vires esse, unum regere universam ecclesiam; dico malè prospectum esse ecclesiæ, si ab unius ore omnes pendere oporteat. Potest ecclesia esse in terris, unde Pontificem adire

Eph. 4,11.

Cor. 12,28.

adire non detur; imò quibus nomen Pontificis aut sedes ejus numquam innotuerit. Quòd si unum civili imperio universum terrarum orbem gubernare nec utile est, nec Deo consultrum visum fuit, quid dicendum erit de cœlesti illo & mystico regno, cuius regimen multò majoribus difficultatibus involvitur? Hoc itaque sibi uni qui vendicat, metas humanitatis excedit, & divinitatem adflectat. Neque negari potest, quòd si Pontifex ecclesiæ caput est, ecclesia sæpe fuerit ac etiamnum fieri possit & ἀκέφαλος & πολυκέφαλος, hoc schismatum, illud interregnorum tempore. Utrumque autem absurdum. Absurdum igitur, Pontificem ecclesiæ pro capite tribui. Sed neque video, quàm conveniens sit ecclesiæ ab hominibus caput adponi sive imponi. Olim enim Imperatores; postea Romani; nunc Cardinales Papam eligunt. Quòd si verò usque adeò ecclesiæ visibili capite opus fuisset, aut hoc Deo placuisset, Christus ipse cum eâ perpetuò in terris permanisset: nisi forte utilius ei sit Rom. Pontificem quàm Christum caput habere.

XV. Denique si ex sacris literis colligi potest, ad regimen ecclesiæ plures pari potestate admissos esse, certissimum est illud monarchicum non esse. At Christus elegit ex discipulis duodecim, quos & Apostolos nominavit. Item: *Advocatis duodecim discipulis suis dedit eis potestatem adversus spiritus impuros, ut ejercent eos & sanarent quemvis morbum, & quemvis languorem.* Quishorum reliquis prælatus est? Sic omnibus dicit: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Quorum remiseritis peccata &c.* Item: *Euntes docete omnes gentes.* Pariter itaque omnes missi sunt ad apostolatus munus peragendum, & parilem omnes potestatem acceperunt. Et hoc eodem modo,

Tr 2

quo

Lue. 6, 13.  
Matt. 10, 1.  
Lue. 9, 1.

Joan. 10, 21.  
Matt. 28, 19

## DE PRIMATU PETRI.

332  
 quo injunctum fuit munus, exsequuti sunt, & quali ne in pote  
 potestate & auctoritate: nam pro seculi prædicarunt ubique,  
 Domino cooperante & sermonem confirmante per signa subsequen  
 tia. Communi quoque consilio & suffragio septem dia  
 conos usu exigente constituunt; ortamque controver  
 siam de observatione legis Mosaicæ decidunt Apostoli  
 & Presbyteri, sententiam quam adprobarunt scripto que  
 mandarunt proferente Jacobo, non autem Petro.

XVI. Postremò huic sententiæ roborandæ sive il  
 lustrandæ Patres adduci possunt. Cyprianus de simpli  
 citate Prælatorum: *Apostolis omnibus post resurrectionem*  
*suam parem potestatem tribuit.* Ab uno autem Petro ini  
 tium fecisse dicit, ut unitatem ecclesiæ adumbraret. Ibi  
 dem: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus,*  
*pari consortio prædicti & honoris & potestatis.* Item: *Episcopatus*  
*unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Idem Conciliū  
 Carthaginense, cui præsidebat aperiens collegas ad di  
 cendum invitatisce verbis, quæ ab Augustino quoque  
 recitantur & laudantur: *Superest ut quid de hac ipsâ re sin  
 guli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure*  
*communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Neque  
 enim quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit,  
 aut tyrranico terrore ad obsequendi necessitatē collegas suos  
 adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentiâ libertatis &  
 potestatis suæ arbitrium proprium, tamquam judicari ab alio  
 non possit, cum nec ipse possit alterum judicare. Sed exspecte  
 mus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus &  
 solus habet potestatem, & præponendi nos in ecclesiæ suæ gubern  
 natione, & de actu nostro judicandi. Ubi tunc summus ille  
 & infallibilis Papa, cuius nunc judicium exspectare do  
 cemur? Hieronymus in 1 cap. Ep. Tit. *Antequam Dia  
 boli*

Marc. v. ult.

Act. 6.

Act. 15.

1.3 de bapt.  
 cont. Do-  
 mat. c. 3

*b*e*ti instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis,  
Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephae; communi pres-  
byterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Ubi notandum,  
quod & hic & Epistolâ ad Euagrium pluribus probat Hie-  
ronymus, in primitivâ ecclesiâ eosdem fuisse presbyte-  
ros & episcopos, neque inter hos dignitatis aut potesta-  
tis discrimen aliquod intercessisse. Quod autem postea,*  
*inquit, unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis  
remedium factum est: ne unusquisque ad se trahens Christi ec-  
clesiam rumperet. Ita Paulus in actis accersit presbyteros ec-  
clesiae Ephesinæ, ijsdemque dicit: Attendite ad vos ipsos  
& totum gregem, in quo vos Sp. S. constituit episcopos.*

Incipit: Le-  
gimus in  
jes. Tota  
ponitur d.  
93. c. 24.

Act. 20, 19.  
28.

XVII. Omissis autem reliquis quæ adduci pos-  
sent Patrum testimonij, operæ premium videtur è Gre-  
gorio Magno, Rom. Pontifice nonnulla adscribere, ut  
quódnam ipsius Papæ de hac re judicium fuerit, ab omni-  
bus perspiciatur. Erat tum temporis Constantinopi  
episcopus Joannes, qui quòd urbis quæ imperij sedes es-  
set, ecclesiam regeret, super reliquas quoque ecclesias  
auctoritatem sibi adrogabat, & universalis, œcumenicus  
sive *ndons tñs öixvypñs* episcopus dici volebat. Scribit  
Gregorius ad Imperatorem Mauritium, ut hominis de-  
mentiam cohibeat. Verba subjungo: *Quia pia leges, quia lib. 4. ep. 38.  
venerande synodi, quia ipsa Domini nostri Jesu Christi man-  
data superbi atque pompatici nominis inventione turbantur:*  
*pissimus Dominus locum fecet vulneris, atque resistenter ægrum  
augustæ aucloritatis vinculis constringat. Notetur Papam*  
*auxilium Imperatoris implorare, eum Dominum vocare,  
judicem causæ agnoscere, ut ex sequentibus clarius pa-  
tebit: hoc scilicet nunc quoque faceret Romanus mo-  
narcha. Habet etiam argumenta, quibus ne minimi hoc*

Tt. 3

mon.

## DE PRIMATU PETRI.

334      nominis aut dignitatis tribui posse evincit. Si, inquit, illud nomen in ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud honorum omnium judicium fuit: universa ergo ecclesia, quod abicit, à statu suo corruit, quando is, qui appellatur Universalis, cedit. Sed abicit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiae, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer adrogatur. (nempe quia episcopatus pars à singulis in solidum tenetur.) Certè pro B. Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Rom. Pontifici oblatum est: (ubi hīc jus divinum?) sed nullus eorum unquam hoc singularitatis vocabulum adsumit, nec uti consensit &c. Pergit: Ille coercendus est, qui sanctæ universalitæ ecclesiæ injuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis adpetit: qui honori quoque imperij vestri se per privatum vocabulum superponit. Mens est, si quisquam Universalis fuerit episcopus, is erit Imperatore superior & eminenter. Atqui hoc Gregorio nefas & absurdum esse videatur. Concludit Imperatori se subjiciens, & obedientiam promittens: Secundum petitionem praedicti Sabiniani diaconi (quem ut coram plura referret, ad Imperatorem miserat) aut piissimus Dominus ipsum dignetur judicare negotium, aut saepe nominatum virum, ut ab hac tamdem intentione cesse defletere. Sequitur epistola ad Constantiam Augustam, in qua de eodem in hunc modum: In hac ejus superbis quid aliud nisi propinqua jam Antichristi esse tempora designatur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere. Notanda in eadem epistola hæc verba: Præterea indico, quia piissimi Domini scripta suscepit, ut cum fratre & consacerdote meo Joanne debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum Dominum decuit, ut ista sacerdotibus præciperet.

Si

Si tunc decuit, qui sit ut nunc non deceat? In epistolâ ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum, ut communis sententia Joannem compescant, præter cætera argumenta hoc quoque urget, quod universa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pemptatice sermonis ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare. Ibidem: Sanctitas vestra in suis epistolis neminem umquam Universalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum.

Ep. 36.

Ex epistolâ ad ipsum Joannem multa possent notari, & digna essent. Sic Joannem adloquitur: *Tu quid Christo, universalis scilicet ecclesiæ capiti, in extremi judicij es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris Universalis adpellatione supponere?* Item: *Sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratiâ, emnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt ecclesiæ constituti, & nemo se umquam Universalem vocare voluit.* Observandum quoque quod dicit: *Quid fratres tui omnes universalis ecclesiæ episcopi (id est, qui cumque ecclesiæ ubivis locorum per universum terrarum orbem dispersæ præsident) nisi astra cœli sunt? Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare: quid aliud dicis, nisi In cœlum concendam; super astra exaltabo solium meum?* Ibidem Oecumenici hoc vocabulum flultum, superbum, perversum, temerarium, nefandum appellat, quo vocari nullus præsumit, qui veraciter sanctus fuit. Epistolâ quæ proximè sequitur, Arriano diacono Constantinopolitano inscripta, *In isto, ait, scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere.* Miserat ad Gregorium acta quædam in causâ Joannis & Athanasii presbyterorum, in quibus se penè per omnem versum ὁ Ἀριανὸς patriarcham nominarat.

Ep. 38.

Ep. 39.

Anasta-

Anastasio Antiocheno monenti ne ob rem leviculam à Costantinopolitanis dissideret, ecclesiam turbaret scandalumque præberet (quod idem fecerat quoque Mauritius Imperator; quod ille ex potestate, inquit, scio quia hoc vos ex amore dicitis.) respondet, rem maximi esse momenti.

**lib. 6. Ep. 24** Vos, ait, eam caussam nullam esse dicere non debetis: quia si hanc æquanimiter portamus, universæ ecclesiæ fidem corruptimus. Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus episcopus vocatur Universalis, universa ecclesia corruit, si unus Universalis cadit. Sed abſit haec stultitia, abſit haec levitas ab au-

**Ep. 18.** ribus meis. Cyriaco successori Joannis scribit ut verbum superbiæ illud repudiet. Dicit: Omnes magnos & honorabiles esse cupio, quorum tamen honor honori omnipotentis Dei non detrahatur. Nam quisquis se contra Deum honorari adpetit, mihi honorabilis non est. Mauritio (quem verisimile est fuisse suæ urbis episcopo, & præ cæteris eum ornari non noluisse) respondet: De quâ re mibi in suis iussionibus

**Ep. 30.** Dominorum pietas præcepit dicens, ut pro adpellatione frivoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo ut Imperialis pietas penset, quia alia sunt frivola valde innoxia, atque alia vehementer nociva. Numquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit, sed tamen nimis perniciōsum? Ego autem fidenter dico, quia quisquis se Universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrat, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbiæ ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos adpellari adpetit, super cæteros sacerdotes se extollit. Sed nimium veridicus vates bonus ille Gregorius: nam qui ei post Sabinianum (hic ferè libros Gregorij, teste Platina, combussisset) succedit

cessit Bonifacius tertius à Phocā parricidā & adultero titulum Oecumenici Pontificis mercatus est, regnique Antichristiani & immensa tyrannidis prima fundamen-ta jecit.

XIX. Quid autem quæso in Pontificium prima-tum à quopiam jurato ejus hoste meditatis verbis acer-bius aut vehementius dici potuisset, quām hīc à Rom. Pontifice dicitur? Quæ verò & qualia dixisset, si de divi-nā determinandi infallibilitate, si de tyrannide in Im-pe-ratores & Christiani orbis principes, de potestate ever-tendi vel transferendi imperia inaudiisset? Quódnam hīc effugium invenient purpurati Gnathones? Dicunt Baronius Annal. anno D X C V ; Bellarminus de Pont. I. 12, c. ult. Universalem à Gregorio acceptum pro uno, solo sive singulari: Joannem voluisse sibi soli episcopatus titu-lum & dignitatem vendicare; & hoc à Gregorio tantā vehementiā improbari. Insaniam hominum, quibus universale nunc idem quod singularē! Satis notum, quid sit ὁ ἀρχιεπίσκοπος τῆς Ὀρθοδόξου επισκοπής esse. Num verò existimant usque adeo mentis impotem fuisse Joan-nem, ut solus episcopus esse desideraret? num piū Imperatorem Mauritium adeò supinum, aut Anastasium adeò vacordem, ut ille omnes episcopos gradu suo dejici rem frivolam putaret, iste capitis diminutionem æquo animo ferret, uterque hortarentur Gregorium ne offendetur? Fateor Gregorium nonnumquam dicere, quod solus velit vocari episcopus: hoc autem ex eo quod universalis velit esse, deducit. nam si cæteri omnes ab uno dependeant, sub uno vivant, quantum ab hoc concedatur juris & auctoritatis, tantum obtineant & tam-diū, sicut verè se nunc res habet in Pontificatu; iste

V u

profe-

profectò unus verus fuerit episcopus, reliqui non nisi precarij. Quid autem propriè & proximè per universalis adpellationem intelligat, ex ipsis verbis promptum est colligere, nempe eum qui velit se omnibus unum præminere, quiseipsum Imperatori præponat, qui cupiat fibi omnia Christimembra subjugare. Verba adeò perspicuè, generaliter & absolute prolata, ut ipsa vi & significantiâ suâ elusiones & hominum ingenio suo abuentium cavillos excludant: quare complura ex ijs volui adscribere, quia fortè nonnullis Gregorij scripta minus familiaria. Plura quidem potuisse, nisi inserviendum foret tempori: hisce autem demonstratum esto, quòd nulla sit in ecclesiâ monarchia, neque vero esse debeat.

XIX. Secundò nominatim de Petro potest probari, quòd nullam monarchicam potestatem acceperit aut exercuerit. Concedere quidem possumus Pontificijs, nonnullam primatus dignitatem Petro fuisse ratione ordinis: nam cùm plures essent Apostoli, eorum aliquem oportuit primum esse, & unum cum à Magistro omnes interrogarentur, respondere. Hoc plerumque præstitit Petrus. *Hoc ætati delatum est*, ait Hieronymus, *quia Petrus senior erat*. Nullam autem id arguit in reliquos potestatem, aut horum erga illum subjectionem. Sed in isto loco puncto pares omnes fuisse, & Petrum nihil commune cum Pontificio primatu habuisse, vel unum secundum epistolæ ad Galatas caput evincit. *Cognoscentes gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Joannes, qui existimantur esse columnæ (hîc pari passu ambulat Petrus cum cœteris, & quidem Jacobo postponitur) dextras societatis dederunt mihi ac Barnabæ: (hoc æqualitatem arguit, neque*

*l. I. adv. Jo-  
win.*

*v. 9.*

neque enim Magistratus subditorum socij sunt, neque ijs dextras societatis dare consueverunt) ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. Apostolis quidem nullus locus peculiariter adsignatur, sed orbis terrarum quasi panditur, & docendus committitur. Ut autem divino mandato satisfiat, quum unus aut omnes simul totum obire non possint, alias huc, alias illuc se contulere, & provincias quasi inter se partiti sunt, ne quæquam earum negligeretur. Sic dicit Paulus divinâ providentiâ sibi v. 7. concreditum fuisse evangelium præputij, sicut Petro circumcisio- nis: & hanc partitionem pacto inito inter se ratam habuisse & confirmasse. Tale autem pactum cum subditis inire Oecumenico primati minus convenit. Sequitur ibidem: Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in os v. 11. ei obstiti, eò quod reprehensibilis esset. Item: Quum vidissem eos non recto pede incedere, ut veritati Evangelij congruebat, dixi Petro coram omnibus &c. Si Petrus Pontificius primas fuit, non potuit ille aliter, quam congruum foret Evangelicæ veritati, incessisse; neque à Paulo aut quopiam mortalium reprehendi debuisset. Idem adseverat se nihil inferiorum esse summis Apostolis. E. nec Petro. At 2. Cor. II, 5. si Petrus à Christo totius ecclesiae monarcha & caput constitutus fuit, certè non potest non Paulus eo inferior esse. Chrysostomus in hoc caput: Se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo comparat, declarans quod unusquisque horum parem sortitus sit dignitatem. Theophylactus: Hic demonstrat se ejusdem esse cum Petro precij & honoris. Hieronymus: Ego in nullo sum Petro inferior, quia ab uno ambo sumus in ministerio constituti. Porro Act. IIX, 14. Quum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, Samariam recepisse Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum

Vu 2

&amp; Joan-

DE PRIMATU PETRI.

340  
¶ Joannem. Si à Collegio Apostolorum missus fuit Petrus, non fuit ipse eo superior, neque enim principes à subditis mittuntur aut mitti dicuntur. Deinque si Petrus talis fuit, qualis à Pontificijs fuisse fingitur, quur se Apostolum, quur se compresbyterum, numquam Apostolorum, presbyterorum, adeoque universæ ecclesie caput & primatē vocat? quur potestatem primatus sui numquam usurpavit, numquam reliquis imperavit, numquam suam dignitatem lumini Solis, Imperatoriam Lunæ comparavit, ut à fictitijs successoribus ejus fieri cepit?

a. Ep. I. I.  
S. L.

XX. Sed age, juvat esse liberales, ut fortè si non in ullo jure, in nostrâ tamen liberalitate aliquod desperatæ caussæ patrocinium inveniant, judiciumque extra-hant adversarij. Concedamus sive ponamus, institutam esse divinitus in ecclesiâ monarchiam, eamque ipfi illi, cui volunt, Petro collatam fuisse. Quid juvathoe Rom. Pontificem? Nam duo hîc solidè probari oportet, quæ ab ipsis probarinumquam poterunt. Primum; Petrum Romæ fuisse; atque ibi sedisse & primatus sui solium constituisse. Alterum; qui externâ & titulari successione ab Apostolo ecclesiæ alicujus fundatore descendunt, ejusdem Apostoli dignitatem, jura & spiritualia dona quasi hereditate adire, ijsque nullo modo excidere posse. Oculos & aures hîc intentas habete. Sed nimium dispari fortunâ concurrimus: nobis, quorum caussâ alijs fundamentis sititur, et si in hoc congressu victis, nihil decederet; adversarios verò ipsos fateri oportet, caussâ planissimè se cecidisse, nisi utrumque demonstrarint. At res de quâ agitur, est summa rei Christianæ; nempe an Rom. Pontifex sit caput ecclesiæ, & pro capite suo à quolibet qui salvus velit esse, agnoscendus.

dus. Hoc ex duabus prius positis thesibus dependet. Eas itaque tamquam prima nostræ salutis fundamenta non aliunde ut alibi disputavimus, sed è Verbo divino probare oportet.

**XXI.** Adducit Bellarminus testimonium ipsius Petri, qui sic ait ad finem prioris epistolæ: *Salutat vos ecclesia in Babylone collecta.* Rectè verò, quod Romam Babylonem esse agnoscit: minus autem rectè, quod Petrum in epistolâ, sicut Joannem in Apocalypsi mystico & minus vulgato vocabulo uti existimat. Volebat scire eos quibus scribebat, undenam salutarentur. At Babylone Romam figurari qui scirent, quum nondum exstaret Apocalypsis? Paulus & ipse Româ aliquot scribit epistolas, numquam tamen nisi Romam adpellat. Bellarminus contrà Papiam testem laudat. Et certè verum est, à Papiâ ad ceteros hanc opinionem derivatam fuisse, & scriptis traditam ab ijs, apud quos Papiaæ antiquitas sua auctoritatem conciliabat. Sed discat ex Eusebio, quām egregium suæ fidei fundatum habeat. Scribit 1.2. de Poit. 1.3. hist. ille Papiam trādere quādam quasi traditione non scriptâ ad se pervenisse, quæ peregrinas quādam Servatoris parabolas, & novas ejus doctrinas, & alia nonnulla commentitijs fabulis reserta continent. Quæ quidem dogmata, credo, eum propterea exceperunt, quòd Apostolicas interpretationes, quæ ab illis essent arcans figuris & parabolis subobscuris expositæ, male intellexisset. Nam homo erat ingenij pertenuis. Ab hoc fluit tota traditio: super hoc exstruitur summa rei Christianæ. Nos contrà Scripturæ testimonia exposcimus, sine quibus nihil quod quidem ad fidem & salutem necessariò faciat, acceptamus. Hæc itaque quia proferre Pontificij non possunt, eos in probatione deficere dicimus:

V u 3

&amp; ut

& ut totam rem planiorem faciamus, ipsi hoc oneris in nos recipiemus, nempe ostendemus probabile esse Petrum Romænumquam fuisse; Romanum autem episcopum numquam fuisse, omnino certum esse. Quamquam prius, fatente Bellarmino, parum ad rem. Non enim statim Romanus episcopus fuerit, et si Romam venerit. Nostram tamen sententiam, ut dixi, probabiliorem ostendemus.

**XXII.** Curriculum sive historiam vitæ Petri in hunc modum proponit Bellarminus. Anno quinto à passione Domini, qui est secundus Caligulae, è Judæa profectus in Syriam Antiochiæ fixit sedem, & mansit annos ferè septem Episcopus ejus urbis. Non tamen hoc ita accipiendum est, inquit, quasi nunquam ex Antiochiâ toto illo tempore egressus sit; immo vero eodem tempore peragravit Pontum, Asiam, Galatiam, Cappadociam & Bithyniam, inde autem profectus anno septimo episcopatus Antiochenus, qui erat XI à passione Domini, rediit in Hierusalem; ibique comprehensus ab Herode in vincula conjectus est in diebus azymorum Act. XII; sed paullo post ab Angelo liberatus, eodem anno, qui erat secundus Claudij, Romam venit, ibique sedem fixit, ac tenuit annis XXV. Non tamen toto eo tempore, quo fuit Episcopus Romanus, mansit Romæ; sed posteaquam septem annis Romæ prædicaverat, rediit in Hierusalem, expulsus à Claudio ex urbe una cum cæteris Judæis, anno nono Claudij; id est XIIX à passione Domini. Itaque cum audissent ij, qui erant Antiochii, Petrum venisse in Hierusalem, miserunt ad eum Paulum & Barnabam, & tunc factum est concilium Hierosolymitanum. Mortuo autem Claudio, rediit Petrus Romanum, & ibidem vitam finivit, nempe post devictum publicè Simonem Magum jussu Neronis anno ejus XIV, in crucem actus capite deorsum verso obiit,

lib. 2. de  
Rom. Pont.  
c. 6.

objit, ut idem alio loco scribit. Hæc ferè de Petro Bel-  
larminus. cap. 3.

XXIII. Nunc autem videndum, quomodo  
cum hisce convenient & auctores alij, & ipsæ sacræ liter-  
æ. Hieronymus quidem, ut ille, anno secundo Claudi  
Romam venisse scribit: at Damasus, qui ipse Pontifex,  
sub Nerone; Marianus Scotus in Chronico, Beda in xv  
Act. Fasciculus temporum quarto Claudi; Passionale  
sanctorum decimo tertio; Orosius lib. vii initio imperij  
Claudi; Eusebius ex Origene sub vitæ suæ finem, hist.  
I. 111, c. 1; Irenæus lib. 111, c. 1, cùm Evangelium scri-  
beret Matthæus, quod fuit (juxta Eusebium in Chroni-  
co) Caligulæ tertio. Onuphrius in additionibus ad Petrum  
apud Platinam disputat Petrum Romanâ ecclesiâ relictâ  
in Judæam reversum Concilio Apostolorum interfuisse,  
inde Antiochiam venisse, & cùm ibi septem annis sedisset  
deum imperante Nerone Romanam rediisse. Si, inquit,  
ut inter omnes auctores convenit, secundo Claudi anno (is decimus  
fuit à passione Christi) ex Agrippæ vinculis divinitus libera-  
tus Romanum venit, illud certè necessarium videtur, eum ante ad  
urbem adventum Antiochiae septem annis non sedisse, cùm an-  
tea ex Judæa numquam discesserit, sed hanc Antiochenam ejus  
cathedralm alio tempore fuisse. Verum est, & ex Actis  
constat, quod dicit Onuphrius, ante secundum Claudi  
& illa sub Herode vincula Petrum Jūdæa non excessisse.  
Falsum itaque est, quod scribit Bellarminus, ante id tem-  
poris septem annos Antiochiae & extra Iudæam versatum  
fuisse. Nam Act. v & vi Hierosolymis adducit est; cap.  
ix una cum Ioanne Samariam mittitur; c. ix pertransiens  
per ecclesiæ Iudææ, Galilææ & Samariæ Lyddam venit,  
& loppen; inde c. x Cæsaream in visione ire jubetur ad

Corne-

Cornel' u n: c. xi Hierosolymas revertitur: nondum, ut manifestum est, pedem extulit Judæa. Ibi autem objurgatur à fratribus, quod introiisset ad viros præputium habentes, & comedisset cum ijs, ac cogitare facti rationem reddere. Quomodo verò hoc novum aut mirum visum fuisset, si jam antè tot gentes aliquot annis perlustrasset? Cap. xii in carcerem conjicitur. Ubi septem anni quos extra Judæam translegisse dicitur? Hic cum scripturis adversa fronte pugnat Bellarminus. Sed mittamus, neque omnium suppurationes, quod trædiosum nimis foret, inter se committamus, aut sub calculos nostros vocemus.

XXIV. Hoc notari volumus, Paulum Corintho per Phœben ministram ecclesiæ Cenchreensis ad Romanos epistolam scribere, & sub finem ejus salutare Priscillam & Aquilam, nec non Andronicum, Juniam & Herodionem cognatos suos, omnes Judæos. Claudius verò edicto Iudæos Româ exegerat, ut scribit Orosius, atque unà Priscillam & Aquilam, ut indicat Lucas Act. xliix, 2: sed uterque sine notatione temporis aut anni, quem tamen Bellarminus pro suâ auctoritate Claudij nouum fuisse definit. Quum igitur Priscilla & Aquila & è Iudæis complures iterum Romæ viverent, aut edicti severitas mitigata erat, aut jam Agrippina tremulum Claudij caput in cœlum descendere jufferat. Qui itaque obsecro factum est, ut Petrus, si is Romanus episcopus fuit, ecclesiæ suæ non adesset, quum turò adesse liceret? Nam si adfuisset, à Paulo præteritus non fuisset; neque enim qui cap. 16. accuratè singulos salute impertit, tantum Apostolum ejus urbis episcopum & universæ ecclesiæ primatem negligisset. Non certè nulla ad Romanos de ipso verba fecisset,

fecisset, eique obtemperare jussisset, modò ille eorum episcopus umquam fuisse.

XXV. Porro Paulus à Iudeis captus traditur præsidi Felici: huic successor subrogatur Portius Festus, Act. xxiv, 27; & quidem à Nerone, ut scribit Iosephus Antiq. l. xx, c. vii. Paulus coram Festo cauillam dicit, & Cæsarem cum adpellasset, Romanum mittitur. Fratres venienti obviam prodiere usque ad Appij forum & tres tabernas. Ubi hic episcopus Petrus? cur nulla ejus facta mentio, nullo verbo tantorum Apostolorum congressus indicatus? Dein convocatis Iudeis exponit cauillam suæ captivitatis: respondentilli: *Equum censemus ex te audire quæ sentias, nam de ista hæreti notum est nobis ubique ei contradicere.* Quid? num Petrus episcopus tot annos negligenter adeo gregem commissum, præcipue Iudeos, quorum Apostolus erat, curaverat, ut hi de religione Christianâ tamquam re ignotâ loquerentur, & primùm à Paulo, quid sentiret, audire euperent? Mansit autem Paulus Romæ biennium totum, in proprio conducto: inde scripsit diversas epistolas ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem. In nullâ harum vel verbo subinnuit, quod secum Romæ esset Petrus, aut isti ecclesiæ episcopus præsideret, præsertim quum saepius meminisse oportuisset. Gal. ii multa verba de Petro; si adjeçisset, quod sibi cum ista scriberet, jam præsens esset, nihil validius ad commovendos Galatarum animos & in viam, à quâ seducti exorbitaverant, reducendos. Philippensibus & Colossensibus initio epistolaræ salutem dicit à se & Timotheo: cur non à Petro? Philip. 11, 20 ait se præter Timotheum neminem habere *Ἰωάννην: nam omnes, inquit, quæ sua ipsorum sunt querunt, non quæ Jesu Christi.* Num

Act. 28, 17.

v. 22.

v. 30.

Petrus Timotheo inferior, & non nisi sua quærebat? Co-  
 e. 4, v. 10. lossensibus salutem scribit ab Aristacho suo in captivita-  
 te socio, Marco, & Jesu qui dictus Iustus; atque hos solos  
 ex circumcisione ait se habere in regno Dei σωματικός. Pe-  
 trus igitur aut Romæ non erat, aut Pauli in regno Dei  
 σωματικός non erat. Subjungit salutem à gentilibus, Epa-  
 phra, Luca & Dema: nullam facit Petri mentionem.

v. 1. Eodem modo Philemoni scribens initio Epistolæ Timo-

v. 23, 24. theum secum conjungit: sub finem, salutant te, inquit,  
*Epaphras, Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, ēi σωματικοί μη.*  
 Ubi, inquam, Petrus? Num absuit eo etiam tempore,  
 quo adesse licebat, & adfuisse scribunt ipsi adversarij?  
 Negligentem oportet fuisse episcopum, quem numquam  
 apud suam ecclesiam reperire datum est. Denique se-  
 cundam ad Timotheum epistolam scribit Paulus, quum  
 à Nerone in Christianos sub finem imperij sui sèviente  
 secundò captus esset: & mortem imminentem jam præ-

e. 4, v. 6, 7, 8. dicit. *Ego nunc liber, & præstitutum tempus meæ dimissio-*  
*nis instat. Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi,*  
*fidem servavi. Quod reliquum est, reposita est mihi justitiae*  
*corona. Hoc demum tempore Romæ Petrum fuisse*  
*oportet, si umquam fuit. Simul enim captos &*  
*mortuos scribunt. At Paulus contrà: Lucas mecum est solus.*

a. 4, v. II.  
 &c 16. Item: *In primâ meâ defensione nemo mihi adsuit, sed omnes*  
*me deseruerunt: utinam ne hoc illis imputetur. Petrus si Ro-*  
*mæ fuisse, Paulum nequaquam deseruisset.*

XXVI. Ex hisce omnibus constare arbitror, in-  
 certum admodum & dubium esse, num Petrus Romanum  
 umquam viderit; fuisse autem Romanum episcopum &  
 quidem per annos xxv, figmentum est. Pugnat hoc non  
 tantum cum ijs, quæ modò disputavimus, sed cum mu-  
 nere

nere ipsius Apostolatus. Episcopus unum certum grecem habet, quem pascat: non sic Apostoli, quibus dictum est: *Docete omnes gentes*. Fieri quidem potuit, ut diuturniorem moram fecerint in uno loco, quam in alio: in nullo tamen sedes fixas habuerunt, quibus proficisciendum erat, quo vocabat aut jubebat Spiritus sanctus. Sic quoque quasi capite diminuti a summo gradu ad inferiorem detruderentur: nam n'ultò minor episcoporum dignitas praे dignitate Apostolorum. Horum itaque non erat episcopos agere, sed orbem obire, & episcopos in ecclesiis a se fundatis constituere. Sic Paulus & Barnabas creant per singulas ecclesias presbyteros, Act. XIV, 23. Sic scribit Irenæus ab Apostolis institutos esse in ecclesiis episcopos. Item: *Fundantes & instruentes beati Apostoli ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ ecclesiæ tradiderunt*. Non igitur ipsi episcopi, sed quod muneris Apostolici erat, ecclesias fundabant, ijs episcopos alios dabant, ut *ipsi*, sicut scribit Rufinus, *Apostolatus officium implerent*. Non urgeo, quòd si Petrus, si Paulus, si denique Linus Romanæ ecclesiæ eodem tempore episcopi fuerunt, plures simul una ecclesia episcopos habuerit, quod ipsis adversarijs absurdum.

præfat. Re-  
cog. Clem.

XXVII. Hoc urgeo, cuius mentionem quoque superiùs feci, inter Petrum & Paulum convenisse, ut hic inter gentes, ille inter Iudæos Apostolatu fungeretur. *In prædicandi munere*, ait Chrysostomus, in personâ Pauli, *partiti sumus inter nos orbem terrarum. Atque ego quidem eos qui ex gentibus sunt, illi verò Iudæos sortiti sunt, juxta Dei placitum*. Hoc pactum initum fuit secundum Chronologiam Bellarmini, postquam Petrus à Claudio exæctus Hierosolymas venisset. Si Deo volente & jubente ca-

Xx 2

thedram

Gal. 2, v. 9.

ibid.

the dram Romæ posuisset, à quâ se abesse non debere sciret, numquam ille hoc pactum iniisset, sed Paulo potius Iudæos commisisset. In Deum peccasset Petrus, si res se habet, ut volunt Pontificij. Secundò fidem Paulo datam sefelliisset, si contra pæcta conventa Iudaam defruisset, & Romam repetiisset. Ea enim gentium domina aptior fuit, in quâ & ex quâ docerentur gentes, non Iudei, qui in Palæstinâ quarendi. Nam fœdus hanc præcipue videtur vim habuisse, ut alter in Iudeâ maneret, alter ad gentes iret, interim non præcisâ Petro potestate docendi gentiles, qui apud Iudæos; nec Paulo Iudæos, qui inter gentes reperirentur. Ut tamen pæcto satisficeret, & principaliter hic Iudæis, ille gentibus prædicare posset, hunc etiam apud Iudæos, illum apud gentes sive in gentium terris vivere oportuit. Tertiò quia quæ Petri sunt sibi vendicat Pontifex, exsequatur ille munus Petri, & Iudeorum potius quam Romanorum curam habeat. Tantum quoque de Romano Petri episcopatu, qui non solum nudis hominum, & quidem inter se pugnantium (qualibus absit ut nitatur fides nostra, quibus nec in cibilibus judicijs creditur) testimonij superædificatur, verum divinis sacrarum litterarum destruitur & evertitur. Ob oculos itaque unicuique nunc peno verba Bellarmi: *Jus successionis Pontificum Romanorum in eo fundatur, quod Petrus Romæ sedem suam, iubente Domino, collocaverit, atque ibidem usque ad mortem sederit.*

3. 2. c. 1.

XXIX. Quamquam ut suprà dicebamus, secundò de hoc ipso jure successionis litem emovemus. Nam posito, quod Petrus primas ecclesiæ à Christo institutus sit, quod Romæ fuerit, quod Romanum episcopatum usque ad mortem administraverit, quid hæc omnia ju-

vant

vant causam Pontificiam, nisi prius disertè probetur, ad successores in episcopatu pertinere & devolvi, quidquid potestatis, auctoritatis & singularium sive personalium donorum fuerit in episcopatum fundatoribus? Unicam litterulam è scripturis requirimus, quâ hoc quidquid est juris vel conferatur, vel confirmetur, vel subindicitur. Contrà autem certum est, ut suprà ostendimus, Apostolos nec episcopos fuisse, nec ijs quemquam succedere, si utrumque vocabulum strictè & propriè accipiamus, nempe episcopum pro eo, qui unum singularem gregem curat; successionem pro functione sive administratione ejusdem omnino officij ad quempiam devolutâ. Apostoli orbis terrarum doctores erant, immediate & peculiari quodam modo à Spiritu sancto regebantur, ejusque instinctu sanctas canonicas scripturas condebant. Horum ratione Apostoli erant. At hæc cum ipsis extincta fuere, nec cuiquam mortalium communicata. Hac itaque ratiōne nemo ijs succedit: sed successores Apostolorum dicuntur, non quòd privilegia & dona Apostolica accipiāt, verùm ob munus docendi, quod ab Apostolis injunctum sive acceptum administrant: sicut ob idem ipsi Apostoli à nonnullis episcopi adpellantur, latè sumitâ voce. Quid itaque ad Pontificem Petri Apostolatus, quæve ei adnexa fuere jura & privilegia? Docet nos ille divinam voluntatem esse, sed è scripturâ divinæ voluntatis indice, ut quicumque Petro succedit, sive ecclesiæ à Petro constitutæ episcopus est, habeat primatum & infallibilitatem, si habuit Petrus. Personalia hæc fuissent, nec ad successores transmissa.

XXIX. Quid dicet de Joanne? nonne is Filius tonitruj à Servatore dictus æquè habuit immediate ad-

## DE PRIMATU PETRI.

350 sistentem Spiritum sanctum, & æquè infallibiliter de religione definiebat & judicabat, ac Petrus? Sed is fundator, sive ut illi malunt loqui, episcopus fuit ecclesie Ephesinæ. Ergo si jus successionis obtinet, in nullo inferior erit Ephesus episcopus Romano. Si Romanus propter Petrum petra est, Ephesus propter Ioannem Filius tonitrui est. Si Romanus propter Petrum non errat in religione, neque errabit Ephesus propter Ioannem. Hic quoque notandum de primatu, quem Petro & successoribus ejus tribuunt: si verus ille non factus, sequitur Ioannem postremis suæ vitæ temporibus subiectum & inferiorem fuisse Romano episcopo, sive Lino sive Clemente: (nam æquè bene de Petri successore, ac de ejus Romam adventu auctores convenient) Vixit enim post mortem Petri, si is à Nerone crucifixus, Ioannes supra annos xxx usque ad tempora Trajani, ut Irenæi & Clementis Alexandrini testimonij hist. l. 3, c. 17 confirmat Eusebius. Apostolum autem ullo alio doctore sive episcopo inferiorem esse absurdum est. Sed omitto, & hoc tantum dico, jure successionis Onesimum, quem Ioanni successisse Ignatius innuere videtur, nulli Romano postponendum, subiectumve fuisse. Idem judicium de reliquis Apostolorum successoribus esto. Iacobus Hierosolymitanorum; Thomas Indorum; Andreas Constantinopolitanorum; ipse Petrus Antiochenorum primus fuit; & hi ab illis descendunt. Eodem itaque jure quantum sibi à Petro dignitatis vendicat Romanus, tantumdem & ipsi à suis sibi fundatoribus sive antecessoribus vendicare possunt cæteri.

XXX. De certo & infallibili illo in rebus fidei judicio paullò uberioris dicendum nobis est. Hoc enim eò fa-

INFALLI-  
BILITAS  
ROM. PON-  
TIFICIS.

ep. ad An-  
tioch.

eo facit, quod Papa divinitus se judicem controversiarum constitutum dicit, & omnes Christianos decretis suis obtemperare jubet. Et certè mira est velversutia, vel impudentia eum, qui ab orbe Christiano tot errorum accusatur, & accusatus convincitur, in medium profiliare, clamare: *Se non posse errare.* Hoc ense nodum præcisum oportuit. Quoniam verò vix ullo pigmento tetra absurdæ adeò opinionis facies fucari potuit, varijs opus fuit subtersugijs, ut aliquò se illatebraret, cui splendor veritatis oculos prestringebat. Docet itaque Belarminus Pontificem posse considerari ut Doctorem particularēm; ut Pontificem, sed solum; ut Pontificem, sed adjuncto cœtu consiliariorum; ut Pontificem, sed unā cum Concilio generali. Deinde Pontificem, vel cum Concilio, posse errare in controversiis facti particularibus, ut an talis promovendus sit ad episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus: ut particularēm Doctorem etiam in questionibus juris universalibus, tam fidei, quam morum. Pergit, dicitque Catholicos omnes in duobus inter se convenire. Primò, Pontificem cum generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum. Secundò, Pontificem solum vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubiâ statuentem sive errare possit sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. Magisne miseros vel insanos dicam hos Catholicos, qui sibi metipis aditum ad veritatem præcludunt, & se ad unius homuncionis pedes sive vera sive falsa dicentis abjiciunt? Quidquid autem reliqui sentiant, statuit ipse, Pontificem sive hæreticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid hæreticum, à totâ ecclesiâ credendum.

1.4, c.2.

XXXI. Mira verò res est, eum qui in controversiis

## 352 DE INFALLIBILITATE ROM. PONT.

versis facti particularibus errare potest, non posse errare in questionibus juris de fide, de moribus. Qui sit, ut utrobique non habeat eumdem sibi adstantem Spiritum? num parum refert indignos ad episcopatum promoveri, dignos contra dejici? an vero hoc dijudicare facilius est altero isto, vel difficultius; & qui salebras superat in plano impingit? Magis autem mirum, quod qui peccare potest, & quidem enormiter peccare, atque adeo sceleratam vitam agere, idem tamen non possit errare. Certè majus quid est errare non posse, quam peccare non posse. Hoe vero de suis Pontificibus haut negabunt, quorum complures Heliogabalo inferiores non fuisse constat, & ipsos, utut frontem perficuerint, fateri oportet. In hujusmodi impuros & inquinatos lares detrudunt Spiritum sanctum, & ineffabile ejus donum bestijs adsignant. Deus autem habitat in mundo pecto-

*i. Tim. 3, 9. re : & mysterium fidei tenetur in mundâ conscientiâ. De-*  
nique maximè mirum est, quomodo qui corde hæreticus esse potest, non possit etiam hæreticus esse ore; sive quomodo quis hæreticus sit, & fieri tamen non possit, ut is quicquam hæreticum definiat; non dicat quæ sentiat, sed potius contra dicat, quæ sentiat, hoc est, non sentiat, quæ sentiat? Monstra verborum & portenta o-

*Matt. 12, 34 pinionum! Progenies viperarum, quomodo possitis bona loqui, quum sitis improbi? nam ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo è bono thesauro cordis profert bona, & malus homo ex malo thesauro profert mala. Atque hic de professione doctrinæ verba fiunt. Papam autem hæreticum esse posse fatentur è Pontificijs Sanderus, Driedo, Turrecremata, Canonistæ in Gratianum, Canus, Catharinus: ipse Bellarminus enumerat Gersonem, Almainum, Alphon-*  
*sum*

sum de castro, Adrianum denique VI Papam, qui omnes,  
inquit, non in Pontifice sed in Concilio generali tantum, con-  
stituunt infallibilitatem judicij de rebus fidei.

l. 4, c. 2.

XXXII. Vellit quidem ipse, modò posset, in  
hac quoque parte Pontifici succurrere, & eum quocum-  
que modo sive in cathedrâ sive extra cathedram posi-  
tum ab omni hærefo suspicione liberare: propterea  
dicit de priore sententiâ, licet non sit propriè hæretica, ta-  
men videtur omnino erronea, & hæresi proxima. Mavult  
sequi unum Pighium, quam reliquos omnes. Conatur

Ecl. hier.  
l. 4, c. 8.

ille cunctos Pontifices notâ erroris liberare: quod ut

l. 4, c. 8.

faceret vel fecisse videretur, Gratianum, ut ait Canus,

Loc. 1. 6. et  
8. resp. ad 13

vexavit contumeliosissime, Jurisperitis turpissime maledixit.

Quin adeo duorum Conciliorum sexti & septimi acta omnia  
calumniatus est, ac pro sua certe virili amborum labefactavit

& auctoritatem & fidem. Hunc inquam sequitur Bellar-  
minus, & notorios Pontificum errores quantum potest,

vel excusat vel defendit. Vedit vafer homo quam male  
cohæreat, & contra communem sensum pugnet, Pon-  
tificem posse hæreticum esse, & tamen fieri non posse, ut

aliquid hæreticum doceat sive definiat. Vedit etiam  
parum profuturam distinctiunculam; ut Doctor universa-  
lis, ut Doctor particularis. Pontifex enim, postquam factus

est Pontifex, non jam unquam Doctor particularis est,  
sed quamdiu Pontifex, tamdiu universalis Doctor est: &

quando is errat, qui Pontifex est, tunc ipse Pontifex er-  
rat. Eodem modo liceret dicere, neminem Christianum  
errare, quia non errat ut Christianus, sed ut homo.

Quomodo verò potest internosci, num erret ut Papa,  
vel ut particularis Doctor? quandoquidem ipse jus &  
fas gerit in scrinio sui pectoris, & hoc potius quam fa-

Yy

cram

## DE INFALLIBILITATE ROM. PONT.

354     cram scripturam relligionis normam esse volunt adver-  
 sarij. Deinde etsi nondum Papa hæresin suam publicè  
 proposuerit, & amplectendam decreto definierit, quo-  
 modo tamen non obsequens ovis eamdem doctrinam  
 sequatur, quam sciat à suo pastore & capite tantis divi-  
 nitus privilegijs ornato amari & sanam conseri? Porrò  
 longè majoribus difficultatibus se involvunt, qui respon-  
 dent, Papam cùm in hæresin incidit, Papatu excidere,  
 & amplius non esse Papam. Quæro enim, quando desi-  
 nat esse Papa? num illo ipso tempore, quando incipit hæ-  
 resin amplecti? Tum semper metuendum est, ne Papa  
 aliquid definiens non sit Papa. Nam potuit incidisse in  
 hæresin, priusquam ad definiendum accederet, atque ita  
 adstantiam Spiritus sancti & donum infallibilis judicij  
 amisisse. Æquè igitur incerti erimus, ac antè fuimus.  
 Si manet Papa, donec hæreticus esse declaretur, sive  
 ob hæresin ab ecclesiâ Papatu dejiciatur, sequitur Papam  
 ab ecclesiâ sive Concilio judicari posse, ejusque senten-  
 tiā examinari: hoc enim fieri oportet, si ob hæresin  
 deponi debet. Quoniam autem nullum generale Con-  
 cilium congregari potest sine auctoritate Pontificis, ipse  
 etiam totius concilij judicium irritum pronunciare potest,  
 neque secundum Bellarminum, quisquam mortalium  
 potestatem habet cogendi eum, ad obtemperandum senten-  
 tiæ contrafæ latæ, quodnam hîcremedium? quomodo  
 gradu suo nolens dejici poterit, quem à nemine cogifas  
 est? Hæreticus Pontifex est & manebit; & cogentur oves  
 lupum pro pastore agnoscere. Tunc verò nulla ratio  
 cogitari potest, quare non is ipse cathedram possit ad-  
 scandere, & quod sibi apud animum suum persuasum  
 est, publicè docere, & credendum proponere. Hæc  
 animad-

I.2. de conc.  
c. 18.

animadverxit Bellarminus, quare à reliquis Pontificijs se  
sejungit, & in Pighij partes descendit: interim concedit,  
Adrianum VI si non hereticum, tamen hæresi proximum  
fuisse.

XXXIII. Sed ut tandem hanc disputationem  
concludamus, & quales cùm quò ad doctrinam tum vi-  
tam Pontifices esse possint ostendamus: nonnullorum  
exempla breviter ob oculos ponemus. Nihil autem  
verborum faciemus de ipso, à quo sua omnia derivant,  
Divo Petro, quem priusquam pleniùs à Spiritu sancto  
edoceretur, errasse constat de cibis & vocatione gen-  
tium, adeoque existimasse solos Judæos pertinere ad  
ecclesiam, nec fas esse gentibus prædicari Evangelium,  
Act. x: postillà quoque à Paulo reprehensum, quòd non  
recto pede incederet, & gentes cogeret judaizare, Gal.  
11. CLEMENTIS, quem alij primum, alij tertium à  
Petro Papam fuisse volunt, epistolæ quædam in tomis  
Conciliorum exstant, è quarum quinçta ad episcopum  
& presbyteros Hierosolymitanos hæc adlegat Gratia-  
nus: *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus  
homini bus esse debuit. Sed per iniuriam alius hoc suum  
esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta divisio  
est. Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens  
esse, ait, communia debere esse amicorum omnia. In omnibus  
autem sunt sine dubio & conjuges. Et sicut non potest, inquit,  
dividi aër, neque splendor solis, ita nec reliqua, quæ commu-  
niter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum. Quid  
nunc aliud dicunt aut docent Anabaptistæ? VICTOR I  
totius Asiae ecclesiæ cum alijs finitimi, quòd Pascha  
alio, quam ipse, die celebrarent, anathemate ferit. Ve-  
rum ista, ut scribit Eusebius, cæteris omnibus episcopis pa-*

c. 12. quæk.  
I. c. Dile-  
ctissimus

hist 1.5, c.  
24.

## 356 DE INFALLIBILITATE ROM. PONT.

rum placebant. Illum igitur contrà magnopere adhortabantur, ut pacis, concordiae & caritatis erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba utpote Victorem acrius & acerbius coarguentum scriptis prodita, adhuc existant.

adv. Praxe-  
am.

Irenæus &c. De hujus successore ZEPHYRINO testatur Tertullianus, quod agnoverit prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & ex eâ agnitione pacem ecclesis Asiae & Phrygiae intulerit. MARCELLINUS à Diocletiano vel metu vel auro impulsus Jovi sacrificavit. Ubi Sinuesa in Concilio hujus facti accusatur, primum constanter negat: deinde testibus convictus supplex veniam petit. Testantur hoc Damasus & Acta ejus concilij. LIBERIUS sub Constantio tædio exiliij vicitus Arianæ hæresi subscripsit. Athanasius ep. ad sol. vitam agentes. Hieronymus in Chrotonico & Catalogo cap. xcvi i. Platina: Pontifex cum Arianis sentiebat. Libero pulso FELIX II Arianus ab Arianis subrogatur. Hieron. Catal. c. xcix. Socrates l. ii, c. xxix. Sozomenus quidem scribit cum fidei Nicenæ semper consenserit, sed ob id in crimen vocatum esse, quod non modo Arianos ministros ecclesiae ordinaret, verum etiam quod eorum communione uteretur. at hoc ipsum satis grave est. Hisce successor LEO quidam, ut scribunt Vincentius, Hermannus Gigas & Conradus Halberstadensis, qui & Arianus fuerit, & eodem mortis genere quo Arius perierit. Sed penes autores nominatos fides est, quæ à cæteris scriptoribus non stabilitur.

l. i, cont. Ju-  
lian. c. 2.  
fess. can. 4 INNOCENTIUS I teste Augustino definit parvulos nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. At Tridentini: si quis dixerit parvulis necessariam esse eucharistiæ communionem, anathema sit. Idem

Tom. i.  
Concil. Ep. xxii, c. i. Eos, inquit, qui viduas accepisse suggestur uxores,

uxores, non solum clericos effectos cognovi, verum etiam ad insulas summi sacerdotij pervenisse. Quod contra legis præcepta esse nemo ignorat. Nam cum Moses clamet: Sacerdos uxorem virginem accipiat; addit: non viduam; contra quod præceptum divinâ auctoritate subnixum nulla defensio alterius mandati opponitur, quam consuetudo vestra. Judicat Christianos judicialibus Mosis legibus teneri. GELASIUS hæreticus fuit, aut certè hodiè Pontifices hæretici sunt, ut disputatione duodecimâ ostendimus. ANASTASIUS II quia voluit occultè revocare Acatium, & non potuit, nutu divino percussus est. Gratianus dist. XIX, c. IX. Glossa explicat illum voluisse Acatium in hæresi defunctum occultè revocare, ut orationes pro eo in ecclesiâ fierent. VIGILIUS parvica Silverij antecessoris sui Epistolam scribit ad Theodoram Imperatricem aliosque ex hæresi Eutychianâ, quâ confirmat illam hæresin, & anathema dicit ijs, qui duas in Christo naturas confitentur. Liberatus in Breviario cap. XXII. PELAGIUS II Subdiaconos Siciliæ à suis uxoribus decreto sejunxerat. Rescinditur hoc à successore ejus Gregorio I. Mibi durum, inquit, atque incompetens videtur, (imò contra Evangelium facit, quis-  
quis legimam uxorem dimittit) ut qui usum continentiae non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à suâ uxore separari, atque per hoc deterius cadat. Greg. Reg. I. 1, ep. XLII. Gratianus dist. XXXI c. Ante triennium. DEUS DEDIT contra eamdem nimium quantum manifestam Servatoris sententiam decrevit ut si qui viri vel mulieres suos ipsius filios quocumque modo de sancto lavacro suscipierent, separarentur ab invicem; vel si quis vir commatrem suam, vel si qua mulier compatrem suum in conjugium duxerit, separantur; mulier tamen maritalem dotem recipiat, & post ex-

Matth. 5, 32

Marc. 10, 9.

1 Cor. 7, 10.

## 358 DE INFALLIBILITATE ROM. PONT.

pietum annum alteri; si vult, nubat. Sigebertus A. C.

**D**CXIV. HONORIUS Monotheleta fuit, & à VI & VII

Synodo damnatus est, nisi omnia Conciliorum acta peni-

tus & in universum falsata ac depravata sunt. MAR-

TINUS epistolā ad Amandum: *Qui semel post suam ordi-*

*nationem in lapsū ceciderit, deinceps jam depositus erit, nul-*

*lumque gradum sacerdotij poterit adipisci.* Quantum igitur

Pontificum pontificatu excidisset! Syricus autem & Ca-

lixius contrarium statuunt, ut patet dist. LXXXII, c.

*Quia &c. Presbyter.* Aut hos igitur aut illum errare

oportet. GREGORIUS III in epistolā ad Bonifacium

permittit si uxor infirmitate correpta non valuerit viro debi-

tum reddere, aliam ducere, modo subsidij opem non subtrahat.

4 Decretal. At contrā rectē Alexander III. Quoniam nemini licet (ex-

ceptū causā fornicationis) uxorem dimittere &c. ZACHARIAS

accusante Bonifacio Moguntino sententiam Virgilij Ra-

tisbonensis adfirmantis Antipodes esse, damnavit. Aven-

tinus Annal. I. IIII. NICOLAUS I Bulgaris respondens

dist. 4, e. 24. baptismum tantum in nomine Christi collatum adprobat,

contra manifesta institutionis verba, & contra canones

ib. c. 83 & ZACHARIAS & Gregorij. Qui vel unam de Trinitate personam

in baptismo non nominat, illud baptisma esse verum non potest.

*Quod pro certo verum est.* FORMOSUS largitionibus Pon-

tificatum adeptus fruitur eo annos V, menses VI. Suc-

cessor STEPHANUS VI odio Formosi, quod ei anteā im-

pedimento fuisset, quod minus optatā sede potiretur, statim ejus

decreta abrogavit, res gestas rescidit, licet quidam scribant

ipsum Stephanum episcopatum Anagniæ à Formoso consequatum

fuisse. Quinimò cadaver sepulchro erutum Laicorum

sepulturae mandavit abscissis prius duobus dexteræ digi-

tis, quibus in consecratione sacerdotes utuntur, & in Ti-

berim

berim projectis. ROMANUS ubi pontificatum iniit, antecessoris sui decreta & acta statim improbat, abrogatque & Formosi restituit. Huic consentiunt & idem faciunt qui ordine succedunt THEODORUS II & JOANNES X. Benedictus IV, Leo V & Christophorus I nihil in hac causa statuisse leguntur. SERGIUS autem III, Christophorum in vincula conjecit, & Formosi acta ita improbarit, ut denuo ad sacros ordines admittere necesse fuerit, quos Formosus ante sacerdotali ordine indignos censuerat. Neque hanc quidem ignominiam mortuo intulisse contentus, ejus cadaver e sepulchro traclum, capitali supplicio, ac si viveret, afficit, corpusque ipsum in Tiberim projicit, tamquam sepulturam & honore humano indignum. Hæc omnia Platinæ ferè verbis referre volui. Eant nunc Pontificij, & jactent Papam in decretis suis errare non posse. GREGORIUS VII à Bernone Cardinale scribitur fuisse homicida, adulter, necromanticus, schismaticus, hereticus, omnium mortalium pessimus. ALEXANDER III decretal. l. iv, t. iv, de sponsâ duorum c. Lice, aliter dicit se definire, quām à quibusdam prædecessoribus suis sit aliquando judicatum. E. aut ille aut isti non recte judicarunt. CAELESTINUS III teste Alphonso de castro docuit per hæresin matrimonium ita solvi, ut conjugium aliud inire liceat ei, cuius conjux in hæresin lapsus sit. Contrarium definitivit INNOCENTIUS III decretal. l. iv, tit. xix, de divortijs. Quantò; & Concilium Tridentinum sess. iv, can. xxv. Hic ipse, quem jam nominavimus, Innocentius l. iv, tit. xvii, cap. Per venerabilem, de Deuteronomico, quod ibi decernitur in N. Testamento observandum esse, dicit. At hoc Judaicum est, & pugnat cum sententiâ Petri in Actis. NICOLAUS III VI de Verb. signif. c. Exiit. Dicimus quod abdicatio proprietatis

tit. de hæ  
ref. c. 4.

## 360 DE INFALLIBILITATE ROM. PONT.

tatis rerum non tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens docuit, & exemplo firmavit. JOANNES XXII Extrav. de Verb. sign. cap. Cum inter, & cap. Quia quorundam, hanc sententiam conceptis verbis erroneam & hereticam pronunciat. Hic alterutrum falsa definiisse oportet. Uterque suum decretum solemni protestatione & execratione munitum concludit. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, ordinations, concessionis &c. At ibidem præter ista Nicolaus declarat in rebus usu consumtibilibus posse separari usum à dominio: negat vehementissime Joannes. Hic etiam docuit animas beatorum non visuras Deum ante resurrectionem, sed tum demum cum corpore resuscitandas esse. JOANNES XXIII dixit & credidit animam hominis cum corpore humano mori & extingui ad instar animalium brutorum. Accusatur hujus erroris à Constantiensi Concilio; neque verò ipse respondet aut diluit. INNOCENTIUS II contra manifestam Christi institutionem Norvegis permisit, ut sine vino sacrificium celebrarent, teste Raphaële Volaterrano. At nos jam receptui canere oportet: quæ hoc loco & tempore notari potuerunt, notavimus; alio, si Deus volet, quæ hic præterivimus, luculentius expōnemus.

DISPU-